



1733.

1. Gruberus, Mich. Heus.: De probatione dominii por-
tunensi delationem.

2. Hacke, Henricus Christianus: De separacione patrino-
niorum in concubinis.

3. Haedius, Henricus Christianus: De fortuna ex
foris Christianorum non proscriptandis. 2. Thes. M.
1733 - 1747.

4. Hobenstorf, Jan. Ernestus: De antiquitatis Romae
nisi per Africam repertis.

5. 6. 7. Finscher, Gallus August et Gabriel, Christianus
Gallus: De spiris advocateum privilegiis.

6. Tauchius, Georgius: Decimone beneficis compre-
hensione et alienentorum exinde prouidentia.

7. Haestuer, Abraham: De signis mercatorum mer-
itis imponi solitis.

8. Haestuer, Abraham: De salivorum valore singulis
categoria sua hyemalia intimat.

1733.

9. 18. Horwitz, Dr. Christianus, pro-fac praecincta
 1. dies: Programma, quo solennia Doctoralia Henrici
 Christiani Hacke . . . indicat. 2 Scenae

10. Koelschius, Gustavus Riedelius: De praeceptis iuris
 prudentiae iustitiae et iure

11. Koelschius, Gustavus Riedelius: Recensitibus iuris
 que realitas -

12. Koelschius, Gustavus Riedelius: De jure perso.
 marum ex statu honorarium naturalis.

13. Ludwici, Carl Gauthier: Testa oralis explorandi Roma.
 marum mulierum abstinentiam a viro legi Ramuli sanar.
 tam .

14. Chager, Dr. Fridericus: Decans' datus principis.

15. Mylius, Gustavus Han: Almonitio de militando
 purioris quam fit per clericum.

16. Pfermannus Augustus Gellat: De separacione fundi
 et modii petenti. et perspectiva .

1733.

- 17 Play, Antonius Gallus: *De potus cafe abusus catalogus morborum angeste*.
- 18 Reckenberg, Carol. M.: *De eo, quod legitimus est juris civitatis et statuto plene nulli possit -*
19. Risius, Andreas Florus: *De mortuorum quaestuaria.*
- 20 Risius, Andreas Florus: *De pena furgurii juris civitatis et patrii*
- 21 Risius, Dr. Florus f. l. b. 1. p. 1 f. *Programma, quo ad Disputationes publicas iuris*
22. Risius, Andreas Florus l. b. 1. p. 1 *(Programma,*
quo ad Disputationem pallicam . . . iuris)
23. Sekierski, Dr. Tschirn: *De pacto metu extorto
fasto et iustis .*
- 24 Stolpe, Christian Lebrecht: *De auctorato ~~et~~ iusto singulis
collegiis sua indicat.*

1735.

25. Holze, Fridericus Lubecus: Remarci in bonis
uxoris paraphernalibus et competentibus,
unsuppletus enumeratione qualitatis paraphe-
nalis non uaciva.

26. Stuebner, Frider. Wilhelmi et Behrmann, Georg Fr.
Jenius: Peccata uirium mensuarum Cartessia-
nam pro Leibetberia

27. Thomaeus, Tranquill: An omnis immunitatio nunc
vixim in documentis et criminis falsi?

28. Thomaeus, Tranquill: An status imperii R. G. abne-
xum feudalem sint subditis aliisque vasallis imperia-
toris?

29. Thomaeus, Tranquill: An mercato uox as pretii pro
merce vendita et brada ferens soluti possit exi-
gere?

30^a 31^b Thomaeus, Tranquill: An ex factis antecedentibus
iustitia lenocinus collegium?

15.

Pri. 7. n. A. 19.

1733, 1.

187.

DE
PROBATIONE
DOMINII
PER
IVRAMENTI DELATIONEM
P R A E S I D E
MICH. HENR. GRIBNERO
ICTO

D. X. APRIL. ANN. MDCCXXXIII.

DISPUTABIT
A. ET R.

CHRISTOPH. FRIDER. BERGER
FRIBVRG. THVR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



PROBATIONE
DOMINI
JEROMEI DELATIONE
MICHAEL GRINBERG
EX APRIL ANNO MDCCXXXIII
CHRISTOPH HEDIGER BERGER
LIPSIAE
EX OFFICINA LUDOVICAE WOLFGANG

V I R O
EXCELLENTISSIMO
FRIDERICO SALOMONI
BRETNUZ,
SERENISSIMO DVCI SAXON.
QVERFVRTENSI
AB INTIM. CAMER. ET AVL. CONSIL.

MAECENATI ATQVE PATRO-
NO SVO
OMNI HONORIS CVLTV
DEVENERANDO

HAS STVDIORVM PRIMITIAS
EA
QVA DECE^T
PIETATE
D.D.D.
SERENISSIMO Duci SAXON
OVERLAUTENS
AB INT' CAVER ET AV' CONSIL
MACCINAI ATOAE TATRO
NO SAV
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS BERGER.



DE
PROBATIONE DOMINII
PER
IVRAMENTI DELATIONEM.

§. I.

Vm eos, qui in iudiciis, quod *De difficulta-*
sibi debetur, persequuntur, te probandi
saepe non tam ius agendi,
quam illius probatio, destri-
tuit, tum maxime arduum
et difficile esse creditur,
quod res aut fundus, de
quo quaerimus, ad nos
pleno dominii iure pertineat, iudici fidem facere.
Conquesti sane sunt de huius probationis difficultate plures, adeo, vt VASQVIVS remota vſuca-
A pione

2 DE PROBATIONE DOMINII

capione eam prorsus impossibilem, (a) alii cum glossa diabolicam dicere non dubitauerint. (b) Liberavit ab hoc onere quodammodo auctorem iam Praetor Romanus, data in rem actione etiam illi, qui rem bona fide et iusto titulo accepit, aduersus deteriore iure possidentem, ad eam, quae nondum vsucepta est, tanquam usuceptam cum omni causa restituendam §. 4. *J. de act.* Quam a vero etiam dominio, si velit, institui posse, non dubito, (c) et cumulari saepius rei vindicatione videas, (d) quamuis mea sententia hac accumulatione non opus sit, et praestet omnino Publiciana sola experiri; imo, cum eo, quo hodie vtimur, iure clientibus fraudi non sit, si aduocatus actionis nomen minus apte exprimat, facile coneoedo in eorum sententiam, qui tacite Publicianam rei vindicationi inesse, et hac instituta reum condemnari posse existimant, etiam si auctor nihil amplius probauerit, quam quod Publicianae actionis indoles requirit.

§. II.

*Iurirandum
de dominio
deferre* Sunt etiam alia, quae difficulter per se dominii probationem adiuuant, et faciliorer reddit. Quo pertinet iudicialis apud nos immobilium traditio, qua

- (a) VASQV. *Controu. illuſtr.* L. 2. c. 51. n. 16.
- (b) vid. BERGER. *Oeon. Lib. 2. Tit. 2. §. 34. not. 2.* LEYSER. *Specim. 99. medit. 1.*
- (c) *Conf. FRANZK. ad ff. tit. d. publ. in rem act. n. 12.*
- (d) vid. GAIL. *lib. 1. obf. 64. n. 4. sq.* SCHILTER. *ad ff. Exercit. 16. tb. 66.*

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 3

qua probata auctor dominium satis demonstrasse ereditur. Omnis vero probationis huius difficultas fere sublata videbitur, si integrum auctori sit aduersario iusiurandum deferre. Cum igitur iusiurandum aut species probationis sit, aut quod malunt alii, ab onere probandi auctorem liberet, vindendum est, an, quod in aliis plerisque causis auctori permittitur, rem suam vindicanti liberum sit delata iurisiurandi conditione controuersiam finire.

§. III.

Neque vero diffiteor, periculose aleae plenam *An expedit?* rem esse, de dominio possessori iusiurandum deferre. Nam, si hic iurauerit, rem petitoris non esse, iureirando standum est, auctor causa cadit. Vix autem dici potest, quam faciles plerique ad iusiurandum decurrant, si id ex sua tantum persuasione aut credulitate ipsis praestandum sit, quod in his de proprietate litibus plurimum contingit. Ea enim, quae vera esse cupiunt homines, non difficulter sibi persuadent, quae noxia sibi esse intelligunt, ea ut vera esse credant, non facile adducuntur. Vix igitur consilii est, opinioni aut persuasione aduersarii decisionem causae committere. Verum id nunc non quaerimus, an expedit, sed an liceat hoc iusiurandum deferre. Et potest omnino contingere, vt, cum nulla alia probandi ratio suppetat, satius sit hoc remedio vti, quam ius suum plane dimittere.

A 2

§. IV.

4 DE PROBATIONE DOMINII

§. IV.

*An liceat?**Aiens sententia potior est.*

Hanc igitur controuersiam, *vtrum reo super dominio iusurandum deferri possit*, attigerunt pauci, nemo, quod sciam, ex instituto est persecutus. Aientem sententiam iam olim amplexus est CARPOZOVIVS lib. I. resp. 77. Eadem accessit SCHROETERVS de probat. domin. §. 18. Approbavit eam quoque MENCKENIVS ad ff. 22. de R. V. §. 11. et BERGERVS Suppl. ad Elec. discept. for. P. II. p. 421. qui, inter eos, qui causas aut perorant, aut decidunt, non semel de hac controuersia disceptatum esse, refert. Disceptata eadem non ita pridem est in Supr. Curia Prouinc. in causa W. R. L. c. L. G. G. v. H. Quare facturum me puto operae pretium, si hoc ipsum argumentum, dum publicum studiorum specimen mihi edendum est, latius exequar, atque de dominii quaestione aetorem reo iusurandum deferre posse, solutiis iis, quae in adversam partem afferuntur, dubiis, clare et luculentier demonstrem, tum qua ratione id fieri debeat, quid, oblata hac conditione, aut aetori, aut reo faciendum, quis denique huius iurisurandi, aut recusati, aut suscepiti et praestiti effectus sit, paucis ostendam.

§. V.

Argumenta diffentientium diluhuntur.

Videamus iam, quae causae sint, cur aut olim dubitauerint, aut nunc quoque non pauci dubitent, de ea, quam mihi tuendam suscepi, sententia. At iuramentum que illud quidem primum ad rem plane non pertinet,

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 5

net, quod SCHROETERVS cit. *Diss. §. 18.* non operari affert, iuramentum non operari dominium. Nam hoc plane non venit in controuersiam, et *I. 7. §. 7. ff. d. publ. in rem act.* negat tantum in rem actionem aduersus tertium competere ei, qui deferente aduersario dominum se esse iurauit, non negat de dominio iuramentum deferri posse, sed hoc ipsum potius aperte confirmat, add. BACHOV. *d. action. Diss. 3. th. 17. p. 74.* Id quoque leve et inane est, *actore nihil quod obiiciunt alii, actore nihil probante, iuramento non esse locum I. 9. C. de O. et A.* Nam, qui ita sentiunt, non prorsus actori facultatem iusurandum exigendi a possesso denegant, sed non aliter id concedunt, quam si non omni plane probatione ille destituatur, ut non opus sit pluribus ostendere hanc ipsam sententiam nullo idoneo nisi fundamento. (a) Neque puto fore quenquam, qui hoc argumento vti velit, nostro certe iure vti non potest, quo expeditum satis est, actori, etiamsi nihil probauerit, integrum esse, iusurandum reo deferre, imo non alia ratione licere iurisurandi conditionem dare, quam si quis alia probatione uti nolit. vid. *Ord. Proc. Sax. Tit. 18. §. 3. et Ord. Rec. eod. tit. §. 1.*

§. VI.

Fortius instant, qui vrgent, *iusurandum ab eo Non posse iur-*
exigi non posse, qui illius rei, de qua iurandum est, sci-
A 3 entiam deferri ei,

(a) Quodiam monuit CARPZOVIVS *I. c.n.7.* add. VOET.
adff. tit. de iure iur. th. 12.

6 DE PROBATIONE DOMINI

entiam non habet. Atque facile concedo, satius esse, conditionem hanc recusandi facultatem illis permitti, quibus res, de qua agitur, non est nota; neque negare ausim, fuisse ex ICtis Romanis, qui hanc sententiam sequerentur. MARCELLVS fane censuit, ei, qui in iusta facti alieni ignorantia versatur, aut remittendum esse iuriandum, aut spatium dandum, ut certiorescatur, et illum recte ita putasse VLPIANVS scribit l. 34. pr. ff. de iure iur., qui ipse etiam iniquum esse censeret de alieno facto alium iurare, aut heredem eius, qui quid fecisse dicitur, ad iuriandum cogi l. u. §. 2. ff. de act. rer. amor. Idem MARCELLVS et VLPIANVS tamen concedunt, si vxor forte quasi praegnans ire in possessionem velit, et contra eam iuratum sit, praegnante non esse, non mitti debere, quamvis vere praegnans fuerit, adeoque heredi permit-tunt iurare de eo, quod verum esse non credit, ut ex illorum sententia ad iuriandum quis de facto alieno, quod ignorat, admittendus sit, si velit, si nolit, compelli nequeat. Referri autem iuriandum non posse, de facto eius proprio, cui delatum est, lubenter concedo. Vt cunque sit, qui haec obiciunt, non negant dominii quaestionem per iuramenti delationem decidi posse, si quis, alterum dominum non esse, iurare possit, aut velit. Potest enim contingere, ut quis vere et ex animi sententia iuret, proprietatem rei ad petitorem non pertinere. In nostris foris nemo est, cui in mentem venire possit, hoc argumento ad declinandam iuriandi,

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 7

randi, aut iusurandum referendi, necessitatem uti,
cum indubitatum plane sit, etiam de facto alieno,
et de eo, quod alteri ignotum sit, iusurandum exi-
gi posse, ita ut ille aut referre id aduersario, aut de
credulitate, ut loquimur, praestare cogatur, *Ord.*
Proc. Sax. tit. 18. §. 5. Ord. Rec. tit. eod. §. 3. 4. 6.

§. VII.

Supereft aliud, quod grauissimum iis, qui *Neque de le-*
dissentient, videtur argumentum. Nimurum con-
gitimatione tendunt, *quaestione* *dominii* *pertinere* *ad legitimatio-*
ad causam *tranfigi ob-*
nem *ad causam*, *de hoc autem legitimatiōnis capite ius-*
lato iurein-
iurandum deferri non posse. Videamus igitur quae *rando.*
vis insit huic ratiocinationi, an verum sit, quod illi
aiunt, legitimationem ad causam per juramenti de-
lationem fieri non posse, atque an quaestio dominii,
instituta rei vindicatione, ad legitimationem com-
mode referri queat?

§. VIII.

Neque vero nos fugit, eam sententiam, quae, *Diversae*
vbi de legitimatione ad causam agitur, iuramenti *ICtorum de*
delationem non admittit, non paucis dudum pla- *bac contro-*
cuisse, eandemque et summa Tribunalia et Collegia *uerbia op-*
ICtorum non semel suis suffragiis approbasse. *niones.*
RIVINVS sane pronunciare non dubitauit, *pro*
non admissibili haberi iuramentum ab auctore reo dela-
tum super legitimatione ad causam, atque addit, in
Supremo Prouocationum Senatu An. 1703. ita iudica-
tum esse: **Dass Kläger vor allen Dingen sich zu**
dieser

8 DE PROBATIONE DOMINII

Dieser Sache gebührend zu legitimiren schuldig, und hat die diesfalls angemachte Eydes delation gestalten Sachen nach nicht statt, ad Tit. 18. O. P. S. Enunc. 19. R I V I N V M sequitur WERNHERVS P. III. Obs. 54. atque responso Ordinis ICtorum Vitembergensium hanc opinionem confirmat. Ipse etiam BERGERVS eidem tandem quodammodo accessit, qui propemodum regulam confici posse tradit, iusurandum deferriri nequit super actu; qui tertii ius attingit, Oecon. L. 4. tit. 25. §. 5. not. 17. p. 1131. Sed nec desunt ICti, qui contrariam sententiam, quae iuriurando locum relinquit, tuentur, eandemque non minus rerum iudicatarum auctoritate confirmant. Idem ille BERGERVS Suppl. ad Elect. discept. forens. Tom. I. ad Ord. Proc. Sax. tit. 18. obs. 7. p. 169. scribit: disceptatum esse memini, utrum super legitimacione ad causam iusurandum deferriri possit, nec ignoro, aliquando sententiam negantem placuisse, at eiusmodi rationibus, quae peccus vix explere possint, concedit deinde ipse in sententiam aientem, atque iuramenti delationi locum reliquisse, Collegia ICtorum Lipstensium et Vitebergensium ipsumque etiam Senatum appellationum commemorat l. e. p. 170. et p. 174. Aliud responsum Facultatis Iuridicae Lips. produxit BARTHIVS Hodeg. for. c. 4. §. 5. n. 10. 11. p. 781. qui eo progreditur, vt etiam in processu cambiiali de cessione cambii iuramentum deferriri posse censeat, quamvis non dissimulet, non sat tutum esse haec vestigia sequi, addita egregia ratione, quod aliud sit, iustum et rectum esse, aliud tale

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 9

tale pronunciari, cum illud ab analogia iuris, aequi et boni, hoc ab arbitrio et motu iudicis, qui saepe ex causis variis, tam internis quam externis oriatur, dependeat. His addimus IAC. FRID. LVDOVIC. qui responsum Facult. iurid. Halens. exhibet, quo legitimationem ad causam, oblata iurisurandi conditione, fieri posse, illa affirmavit, idemque contra RIVINI exceptions vindicat. *Dissert. d. Legitimatis. ad caus. §. 36. 37.*

§. IX.

Sed mittamus auctoritates Doctorum, respon-
sa prudentum et Decisiones collegiorum iuridico-
rum, qui non quærimus, quid iudicatum sit, sed
quid iudicari debeat, quid alii statuant, sed quid de-
hac controuersia constituendum sit. Audiamus
igitur rationes eorum, quibus negativa placet sen-
tentia. Paucis eas complexus est *Illiustr. Liber Baro*
de WERNHER dict. obs. 54. Legitimatio ad causam
inquit, non videtur per iuramenti delationem expediri
posse, tum quod ius tertii concernat, tum quod reus,
qui actori soluit, nullam securitatem adipiscatur, sed
semper metuere debeat, ne a tertio deinceps noua lite
pulsetur, atque adeo huic denuo satisfacere cogatur.
Sed aut me fallunt omnia, aut his abunde satisfa-
ctum est ab illustri BERGERO *Suppl. P. I. p. 169.*
cuius verba malo adscribere integra, quam quidquam
iis addere, cum plane confidere hanc causam videantur:
At enim meminerimus, ait ille, quod ad L.) tertii
non interesset, utro modo ex parte actoris legitimatio ad
causam fiat; ea enim ut cunque facta sit, ius tantum-
modo

B

10 DE PROBATIONE DOMINI

modo facit inter partes salvo semper integroque tertii iure: nihil veter, quo minus tertius, tum quoque, cum actor ad sui legitimationem ratione causae, sive testimoniis, sive instrumentis usus est, aut re adbuc integra, interuenire, aut seorsim experiri possit: ea, quae inter alios acta probatae sunt, aduersus tertium non valent. Sed nec deest, quod ad II.) reponi possit: aut enim reus delatum sibi iuriandum praefat, aut minus: priore casu ab instituta actione absolvitur, posteriore, siquidem actori referat iuriandum, condemnatur ad restituendum, hoc effectu, ut quemadmodum non dolo, nec lata culpa, sed auctore praetore desit possidere, ita tertio nullo modo teneatur: quanquam tum tertio liberum est, separato processu contra actorem experiri. Quae sane argumenta plus ponderis habere videntur quam illa, quibus postea in partem contrariam se trahi passus est, Oecon. l. c. p. 1131. quamvis etiam hoc loco, si de re corporali agatur, iuriandum admittat, quod nostrae causae, qui de dominii probatione agimus, omnino sufficit. In eo sane, quem BARTHIVS l. c. proposuit, casu aliae causae sunt, quae efficiunt, ut ea, quam ipse sequitur, opinio dubia et non satis expedita esse videatur.

§. X.

Dominii probatio male confunditur cum legitimacione ad causam.

Nunc illud dispiciamus, an dominii probatio, si rei vindicatio instituta sit, legitimatio ad causam iure dici possit? Nam si id ipsum fieri nequeat, nullam vim habebit illa, qua, qui dissentient, potissimum nituntur, argumentatio. Ita vero omni-

no

PER IVRAMENTI DELATIONEM. II

no videtur. Rechte mea sententia LVDOVIC.
de legitimat. ad caus. §. 12. Si quis rei vindicationem insfi-
tuat, reus vero, qui actori dominium negat, exceptio-
nem legitimationis ad causam ei opponat, is parum
recte hanc exceptionem allegabit. Etenim legitimatio
haec non rem ipsam afficit, sed personae, quae
agit, ius demonstrat. Praejudicialis, ut nostri lo-
quuntur, est quaestio, antequam ad ipsum
fundamentum actionis probandum peruenia-
mus, dirimenda. Quae si ad rei vindicatio-
nem referas, nihil, quod huic simile sit, in domini-
i probatione deprehendes. Haec ad rem ipsam
ad ipsum actoris ius respicit, non ad eius personam;
ab eo vero, qui ius proprium persequitur, nemo
facile legitimationem ad causam desiderabit. Pro-
batio autem dominii ipsum ius agendi rem suam
vindicantis ita afficit, vt fere totam causam absolu-
uat, certe si reus se possidere rem confiteatur; nam,
si neget, probatione dominii non opus est, posses-
sio in auctorem transfertur, si possidere cum con-
vincat, licet rem suam esse non approbauerit, vid.
leg. 80. ff. de R. V. quam in foro Saxonico imposte-
rum obseruari iussit. *Ord. Rec. tit. 16. §. 3.* Quae
cum ita sint, sequitur, neque legitimationem ad
causam iuramenti delationem omnino respuere, ne-
que probationem dominii legitimationem proprie-
tereque dici posse.

§. XI.

Ex quibus omnibus cum facile intelligatur, ni-
B 2 hil

12 DE PROBATIONE DOMINII

hil efficere aduersus nos eorum, qui iusiurandum in hac specie deferri posse negant, rationes, nemo a nobis, puto, nostrae sententiae, quae iusiurandum admittit, probationem valde requiret. Satis nobis esse potest, nihil obstat, quo minus actor, si velit, reo iurandi conditionem offerre possit. In omnibus enim causis, de quibus aliud lege non constitutum est, licentia conceditur ei, cui onus probandi incumbit, per iusiurandum delatum causam finire. Proprietatis dominium non tantum instrumento emtionis, sed & quibuscumque aliis probationibus ostendi, rescripsit Imp. ALEXANDER l. 4. C. de probat. Iusiurandum et ad pecunias et ad res omnes locum habere, VLPIANVS ait l. 34. ff. de iureiur. IDEM in actionibus omnibus, iis etiam, quae in rem competunt, iusiurandum admittit l. 3. §. 1. ff. eod. atque si de hereditate lis sit, et petitor et possessori deferri posse, scribit l. 11. §. 3. ff. de iureiur. cuius legis sententiam ad rei vindicationem etiam pertinere, manifestum est, MENCKEN. ad ff. de R. V. §. II. Quod si quis haec nondum causae nostrae sufficere existimet, si diserta legum verba desideret, is eundem audiat VLPIANVM l. 9. §. 7. (a) l. 11. pr. et §. 1. (b) l. 13. §. 1. (c) l. 25.

(a) Adscribam ipsa verba legum: l. 9. §. 7.: si petitor iuravit, possessore deferente rem suam esse, actori dabitur actio, sed hoc duntaxat aduersus eum, qui iusiurandum detulit, eosque, qui in eius locum succederunt; ceterum aduersus alium si velit praerogativa iuris iurandi vti, nihil ei proderit.

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 13

I. 25. ff. eod. (d) I. 7. §. 7. ff. de publ. in rem act. (e)
et non dubitabit, puto, amplius, quin et actori et
reo iusurandum de dominio et proprietate rerum
et deferri et referri possit: Sin excipiat has leges
aut plerasque, aut earum certe aliquas non de iu-
reirando, quod pars parti in iudicio defert, sed de
eo, quod ex voluntate et conuentione partium extra
iudicium delatum est, agere, ei equidem non mul-
tum repugnauerim, dummodo vicissim mihi lar-

B 3 gatur

(b) *I. u. pr.:* Sed si possessori fuerit iusurandum delatum,
iuraueritque rem petitoris non esse, quamdiu quidem
possidet aduersus eum, qui detulit iusurandum, si pe-
tit, exceptione iurisurandi vtetur; si vero amiserit pos-
sessionem, actionem non habebit, ne quidem, si is possi-
deat, qui ei iusurandum detulit; *Non enim rem suam*
esse iurauit, sed eius non esse. §. 1.: Proinde si, cum pos-
sideret, deferente petitore rem suam iurauit, consequen-
ter dicemus, amissa quoque possessione si is, qui detu-
lit iusurandum, nachus sit possessionem, actionem in fa-
ctum ei dandam etc.

(c) *I. 13. §. 1. ff. cod. IULIANVS ait: cum qui iurauit,*
fundum suum esse, post longi temporis praescriptionem
etiam vtilem actionem debere habere.

(d) *I. 25. ff. eod.* Sed et si seruus meus, *delato vel relato iu-*
reirando iurauit, rem domini esse, vel ei dare oportere,
puto dandam mihi actionem, vel paci exceptionem
propter religionem et conuentioneem.

(e) *I. 7. §. 7. ff. de publ. in rem act.* Si petenti mihi rem,
iusurandum detuleris, egoque iurauero, rem meam esse,
competit *Publiciana* mihi, sed aduersus te duntaxat.
Ei enim soli nocere debet iusurandum, qui detulit. Sed
Si possessori delatum erit iusurandum, et iurauerit rem
petitoris non esse, aduersus eum solum petentem exce-
ptione vtetur, non vt et habeat actionem.

14 DE PROBATIONE DOMINII

giatur, quod omnino negari nequit, de quibus causis iureiurando voluntario transfigere licet, de iis etiam, si nulla lex prohibeat, iudice approbante, iuramentum in iudicio deferri posse.

§. XII.

*Non vetat
Ius Sax.*

Sunt qui etiam ex *Iure Prou. Sax. lib. 3. art. 21.* verb. aber der Kläger und auf den die Klage geht, sollen dazu schweren, daß sie das mit Recht beweisen wollen, daß es ihre sch. ic. huic sententiae praesidium petant, (a) sed hoc caput de iureiurando agit, quod supplenda probationis causa iudex exigit, non de eo, quod pars parti defert. Neque opus est, plura conquirere argumenta ad tuendam eam, quae iam satis confirmata est, sententiam. Hoc unum tantum addo, eandem in foro etiam nostro, quamvis non semel vocata fuerit in dubium, merito praevaluisse. Secuti eam iam an. 1708. sunt *ICti Vitebergenses* teste *B E R G E R O* rum admittunt. *Supplementor. tom. II. ad tit. 18. obs. 9. p. 421.* *Lipstiensis* eandem an. 1713. approbauerunt, *MENCKEN.* ad ff. tit. de *R. V. §. 11. p. 239.* *Curia quoque Suprema Prouinc. in ea, cuius supra meminimus, causa W. R. L. c: L. G. G. v. H. et delationi et relationi iuris iurandi locum dedit Term. Luc. 1732.* atque post interpositam a reo leuterationem in eadem sententia perseuerauit *Term. Reminis. b. a.* §. XIII.

(a) vid. *SCHROETER de probat. domin. §. 18.* qui perperam arr. 13. lib. 3. allegavit.

§. XIII.

Sunt modi varii quibus rerum dominium nobis acquiritur. Quod igitur diximus, rem suam *iuramenti* vindicanti integrum esse aduersario iusiurandum *delatio, et-* deferre, id etiam ad modos illos, quibus res nostrae fiunt, omnino pertinet. Siue enim quis per *acto non ex-* donationem, siue per *vñcupacionem*, siue ex qua- cunque causa alia rei dominium naectus sit, si id se ita acquisiuisse, alia ratione probare aut nequeat aut nolit, nihil, puto, ei obstabit, quo minus iurisiurandi conditionem aduersario suo offerat. Neque tamen, ut quis causam iuris sui exprimat, et, qua ratione proprietatem rei consecutus sit, ostendat, necesse est, sed etiam omissa illa, iusiurandum a possessore exigere potest. Quamuis enim testibus, qui de dominio actoris generatim deponunt, nulla addita testimonii sui ratione, fidem non habeamus; iusiurandum tamen, etiam si dominii causa non sit exposta, deferri posse, verius videtur. Neque fas est ita coarctare hoc remedium, ut omnis eius pena vñsus, illis, qui alia probatione destituuntur, admatur, vid. BERGER. *Supplementor. P. II. ad O. P. tit. 18. obs. 12. p. 426.* Atque aut fallor omnino, aut *l. 9. §. vlt. l. 11. pr. l. 13. §. 1. de iureiur. l. 7. §. 7. ff. de Public. in rem act. ea, quae diximus, fatis confirmant. Quas secuta est *Cur. Supr. Prou. Term. Luc. an. 1732.* in ea, quam §. *praece. commemo-* rauimus, specie, et iurare iussit auctorem oves, quas vindicabat, esse suas, cum delatum postea*for* ipsi iusiurandum referret, quamuis nullam dominii sui causam allegasset.*

§. XIV.

§. XIV.

*Sive de re
mobilis sive de
immobili
agatur,
etiam Iur.
Saxon.*

Neque interesse puto, vtrum res, de qua agitur, mobilis sit, an immobilis? vtrum fundum quis, an rem aliam quamcunque suam esse dicat *l. II. pr. l. 13. §. 1. ff. de iure iur. Vtrum autem etiam eo iure, quo Saxones utimur, si de rei immobilis proprietate sit quaestio, iuramenti delatio locum habeat,* non semel dubitatum esse meminimus. Constat enim apud nos dominium sola traditione non transferri, nisi iudicis auctoritas adhibetur, apud quem alter iure suo, mox in alterum transferendo, decebat. Dixeris igitur, in hac quaestione dominii cessare iuramenti usum, propterea quod de resignatione et inuestitura judiciali ex aetate constare debeat, cuius si actor nullam faciat mentionem, dominum se dicere omnino nequeat, sin se iudice auctore dominium acquisuisse afferat, non iure iurando res, sed publicorum librorum fide conficienda sit, ex quibus facile conuinci possit, rem non esse suam. Sed haec non efficiunt, vt plane cessare iuramenti delationem, vbi de dominii probatione agitur, existimemus. Sane aduersus eum, qui mihi rem vendidit et tradidit, si possessionem ego causa amiserim, ille iterum occupauerit, etiam Saxonum Iure actio in rem mihi competere videtur, quam quo nomine appelles, parum refert, consent.

BERGERVS de maturand. domin. probat. per usucap.

§. 20. Neque puto reo profuturam nondum factae resignationis judicialis exceptionem, cum per replicam rei venditae et traditae ea facile elidatur.

Aduer-

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 17

Aduersus possessorem autem, qui et ipse a iudice non inuestitus est, multo minus quis Publicanam actionem negabit ei, cui sine iudice res a domino est tradita, aut illi etiam, qui bona fide et iusto titulo eam accepit. Viscapione etiam absque resignatione judiciali possessorem dominium, Iure nostro quoque, acquirere idem BERGER VS docet *l. c.* §. 16. et 20. cuius sententia potior, quam illorum, qui dissentunt, esse videtur. His igitur omnibus, si rei vindicatio aut Publicana actio detur, facultas etiam iuriurandum deferendi non erit neganda.

§. XV.

Sed fac vtramque actionem non competere *Et de ipsa quoque iudicali tradizione.* nisi ei, cui res a iudice sit tradita, non ideo omnis plane apud Saxones usus iuriurandi in probatio- ne dominii cessabit, cum etiam de ipso resignatio- nis et inuestiture iudicariae negotio illud deferri possit. Imo vero, *inquis*, de hoc ex actis et rege- stis publicis constare debet, aduersus quae a reo iu- ramentum exigere *Ord. Rec. tit. 2. §. 6.* non permit- tit. Sed salua res est. Nam, ut taceam *Ordin. Rec.* iuriurandi delationem contra registraturam non omnino prohibere, nonne evenire potest, ut res nobis in iudicio tradita sit, registratura aut plane non, aut non rite confecta, cui si quid defit, quod omitti non debebat, nihil sane impedit, quo minus id exacto iureiurando suppleatur. Iam si ipsi libri publici, in quos ea, quae in iudicio geruntur, referri solent, aut iudicis negligentia, aut casu aliquo fortuito interierint, iniquum sane erit, facultatem

C

ius-

18 DE PROBATIONE DOMINII

iusiurandum deferendi adimere iis, qui resignationem dominii ab aduersario in iudicio factam esse, et a iudice uestituram se impetravisse affirmant, probatio alia ob defectum regestorum destituuntur. Neque enim iudicis, qui factum aliquid esse negat, aut ignorat, tanta fides est, ut non ei, qui affirms, alia ratione, et vel oblato iurejurando assertionis sua fidem facere liceat.

§. XVI.

Quod si in rei vindicatione, quae solennem et plenam dominii probationem exigit, iurisiurandi delationi locus est, multo magis actori, qui *Publicianam* instituit, ea vti licebit, si rem bona fide et iusto titulo se accepisse, et in usucapiendi conditio ne constitutum fuisse ei probandum sit. Idem obtinebit in causis, quae non exactam proprietatis demonstrationem, sed qualecumque tantum eius probationem desiderant.

In iis enim actionibus, quae non ex ipso dominio oriuntur, si proprietatis quaestio forte incidat, satis est quocunque modo iudici fidem facere rem esse nostram, MEV. P.I. Dec. 186. LAMB. GORIS Comment. ad *Consuetud.*

Velau. c. 6. art. 1. Gl. 2. n. 2. p. 93. Vnde eum qui actione negotioria experitur, difficulti dominii probatione non esse onerandum, vulgo traditur, MYNSINGER Cent. I. Obs. 19. quam sententiam Ordin. Rec. Proc. Sax. tit. 20. §. 1. non obscure confirmat, Wenn auf Beybringung des dominii interloquiret wird ic. Quae verba ad modum probandi pertinere puto, non ad formam procedendi.

Sum-

*In actione
publiciana.*

*in causis que
plenam do
minii proba
tionem non
postulant.*

*in actione ne
gatoria.*

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 19

Summarium enim processum et eam, quae vulgo dicitur, demonstrationem sustulit *ead. Ordin. append. §. 1.*; Negotioriam etiam actionem ordinarij, non summario processu peragi, palam est. Non igitur solennem procedendi modum *Ordin. Rec.* in hac actione negligi, sed tantum plenam et exactam dominii probationem ab auctore exigi non debere ostendit. Itaque hac actione instituta, quaestione proprietas exacto iurejurando decidere nihil vetat. Quare cum in causa, quae inter C. M. et H. v. G. zu W. agebatur, auctor reo de proprietate iusurandum deferret, Ordo ICtorum Lipsiens. nihil dubitauit, delationi huic locum dare *M. Mart. b. a.* Dieweil Beklagter auf die erhobene Klage geantwortet, und deren nicht allenthalben geständig, so sind dessen Principalen zuförderst den diesfalls deferirten Haupt-Eyd, und zwar a verbis: f. 15 b. auf seinem Eigenthum vsque praetendiren: fer-ner über die Worte: wenn aber erwähntes Eich- holz-Stück Klägers Eigenthum ist; durch 3. oder 4. ihres Mittels, welchen hier von die beste Wissen- schaft beywohnet, und so Kläger hierzu vorschla- gen wird, in Betrachtung, daß super quaestione do- minii der Gebrauch der Eydes-Delation weder in der Erläut. und Verbesserten Proces-Ordnung, noch sonst in denen Rechten irgend verboten, abzuschweren schuldig, worauf in der Sache fer- ner ergehet, was recht ist. *B. N. W.* Fieri au- tem debet haec delatio lute nostro in ipso statim libello *Ord. Rec. Proc. Sax. tit. 18. §. 1.* non demum

C 2

post

20 DE PROBATIONE DOMINII

post injunctam aetori probationem, cum ne in demonstrationibus quidem post latam sententiam iurisjurandi delatio aetori permittatur, RIVIN. ad Ord. Proc. Sax. tit. 20. Enunc. 117. BERGER. Elec. discept. for. ad tit. eund. Obs. 2. not. 5. p. 509. MENCKEN. ad d. tit. §. 4. WERNHER. Obs. Vol. 1. P. 2. obs. 388. et in hac actione negotaria demonstratio, quod ad modum procedendi attinet, probationis rationem habeat, vt vix putem, integrum esse iudici sententiam ferenti, iurisjurandi usum aetori reseruare. In causis sane leuioribus, quae aestimationem 50 florenor. non excedunt, cum probatio prolixa et solennis aetori non permittatur, iis, qui rem suam vindicant, saepius ad delationem iurisjurandi configendum est, si res, quas suas esse dicunt, non sint pretii maioris. Neque enim quae de iuribus et seruitutibus d. §. 6. constituta sunt, ad controuersias de dominio proferri posse videntur.

§. XVII.

Neque vero solum aetori, sed etiam reo in hac de dominio controuersia iuramenti delatione ut licet. Quae vel ita fieri potest, ut pectorum dominum esse neget, vel ut se ipsum reus dominum esse contendat, et aetori potestatem faciat iurandi, rem non esse possessoris. Ad priorem speciem pertinet l. 9. §. 7. ff. de iure iur. Si petitor iurauit, possessore deferente rem suam esse, aetori dabitur actio, et l. 7. §. 7. ff. de Public. in rem act. Si petenti mihi rem, iuriandum detuleris egoque iurauero, rem meam

*Reus qui exceptionem
dominii
aetori oppo-
nit, iuriu-
randum ei-
dem deferre
potest.*

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 21

meam esse, competit Publiciana mihi , sed aduersus te duntaxat; ad posteriorem forte §. 1. *J. de action.* Si Titius suam rem esse affirmet, *possessor autem dominum eius se esse dicat.* Quamuis, si verum facteri velimus, exceptionis huius in rei vindicatione hodie exiguis vſus esse videatur. Si enim actor dominium non probauerit, non est, cur reus exceptionem dominii ei obiicere, et ad eam probandam iurisiurandi delatione vti velit. Imo vix est, vt liceat ei ab auctore hoc iuriurandum exigere, cum fere receptum sit, non admitti iuramenti delationem, quoad ea capita, quae auctoris intentioni et libello directe sunt contraria. Ignorat enim *contravindicationem* vſus fori, de qua vid. BERGER. additam. ad Suppl. P. II. p. 1906. et SCHILTER. ad ff. Exercit. 16. §. 18. sqq. Habet tamen in aliis actionibus suum omnino exceptio dominii locum, vid. ZANGER. de except. P. III. c. 22. habebit ergo etiam iuramenti delatio, si ea vti, ad illam probandam ex re sua esse, reus existimet.

§. XVIII.

Quae diximus haec tenus de dominii probatio-
ne per iuriurandum , ea etiam *in feudis* obtinent, *iuramenti*
sive de directo, sive de utili dominio demonstran-*delatio lo-*
do agatur. Tantum enim abest, vt leges feuda-*cum habet, se*
les hoc remedium auctori denegent, vt potius, ele-*de dominio*
tionem iurisiurandi dari posse aduersario, diserte
constituant. Quid clarius esse potest verbis II. F.
33. pr. *Sacramentum quandoque possidenti, quando-*
que petenti datur et cum datur, aut datur a iudice, *aut directo*
aut utili aga-
tur.

C 3

aut

22 DE PROBATIONE DOMINII

aut a parte, si a parte, aut subeatur cum duodecim sacramentalibus, aut referat pars cui delatum est. Simillima his sunt, quae leguntur II. F. 2. pr. et §. 1. iurisiurandi domino detur electio, ut iuret, inuestitural factam non esse, aut sacramentum Vafallo referat, et ille aut iuret, aut acquiescat; si vero Vafallus quidem possideat, dominus autem feudum negans esse rem suam petat, non est opus probatione sed possidenti data electione aut iureti, suum esse feudum rectum, aut domino referatur iuriurandum. Eandem electionem agnato, si cum vasalli filiae marito agat, II. F. 15. relinquit, ut vel iuret feudum esse paternum, vel alteri parti referat iuriurandum. add. II. F. 26. §. 1. Ex quibus appetet, in Iure Feudali quidem esse nonnulla omnino singularia de iureiurando et probatione dominii constituta, hoc autem illi cum Legibus Roman. commune, quod pars parti iurandi conditionem dare possit. Quod ad emphyteusin et ceteras, si quae sunt, dominii utilis species attinet, non est ambigendum, quin liceat actori contra possessorem iuriurandi delatione vti.

§. XIX.

*Qui defert
de dominio
iuriurandum,
de calu-
mnia iurat.*

Ne autem nimia facilitate homines ad iuriurandi delationem decurrant, de calumnia iurare iubetur, qui ab altero hoc iuramentum exigit. Nemo igitur iurandi conditionem aduersario offerre debet, nisi qui se dominum esse, aut omnino sciat, aut firmissime credat, et quod alteri defert iuriurandum, si hic referat, vere iurare possit. Sane si inter dominum et vasallum controuersia sit de bene-

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 23

beneficio, hoc calumniae sacramentum non exigitur *II. F. 33. §. 1.*

§. XX.

Posseffor autem, qui oblatam iurandi conditio-
nen accipit, iurabit *rem petitoris non esse l. 11. pr. latum iuriu-*
ff. de iureiur. quae formula non de eo solum, *randum de*
quod quis certo scit, sed de eo etiam, quod credulitate.
verum esse credit, intelligi debet. Cum enim ple-
raque omnia, quae factum alienum continent, de
persuasione tantum nostra concipi debeant iura-
menta, tum hoc omnium maxime, quod de pro-
prietate alterius exigitur, nonnisi opinionis et cre-
dulitatis fere esse potest: *Dass er nicht glaube,*
noch davor halte ic. Quamvis non omnino negem,
contingere aliquando posse, ut vere quis atque sine
omni dubitatione iurare possit, rem non esse acto-
ris, si aut ipsum se, aut alium dominum esse certo
sciat. Sed hoc raro accidere solet. Itaque cogi-
nequit reus, ut de veritate iuret; si scientiam pro-
fiteatur, si iurare velit, actorem non esse dominum,
nemo prohibebit. Atque hoc iure vitimur. conf.
CARPZOV. lib. 1. resp. 77. n. 12. sqq. Quodsi reus
actori iuriandum deferat, iurabit, *rem suam esse,*
l. 9. §. 7. l. 13. §. 1. ff. de iureiur. l. 7. §. 7. ff. de Pu-
blic. in rem act. et iurabit de veritate. Sed non
facile hodie posseffor deferet petitori. vid. quae dix.
§. 17. Vtrum autem huic etiam, si delatum aut
relatum iuramentum sit, interdum de credulitate
sua iurare permitti debeat, ex iis, quae iam affe-
remus, apparebit.

§. XXI.

§. XXI.

*Actores relata-
rum de veritate plerumque.* Est enim in arbitrio possessoris , aut accipere iusurandum aut referre. Atque honestum sane et verecundum videtur , non suscipere iuramentum, sed deferenti potestatem iurandi facere, si res, de qua agitur, illi nota sit, nobis incognita. Quodsi actor, cui de dominii exceptione reus iusurandum detulit , id referre velit , vix erit audiendus , cum haec propria eius quodammodo causa esse videatur , nisi res ita comparata sit , vt facta aut aliena, aut communia iuramenti formula contineantur. Sed reuertamur ad reum; hic si iusurandum referat, actor de veritate, puto, plerumque iurare poterit, et cogetur etiam , nisi causa velit cadere , vt non admittendum esse credam, si de sua opinione iurare velit, *non quod res sua sit, sed quod eam esse suam, sibi persuadeat.* Sed haec quidem plerumque ita se habent, semper habere non dixerim. Nam si de facto alieno agatur , si forte dixerit actor, se et antecessores suos rem per longum aut longissimum tempus bona fide et sine interpellatione possedisse, eum relato iureiurando non existimo compelli posse, vt de illo capite, quod ad antecessorum possessionem attinet , veritatis iuramentum praefest. Neque enim iis assentior , qui iuramentum quodcunque relatum de veritate fieri debere contendunt, neque id indeoles huiusmodi factorum permittit. Quodsi de re, quae inter alios acta est, iusurandum deferre et referre liceat, cur non etiam eo modo iurare, quem natura negotii exigit? Conceptio

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 25

ceptio iurisiurandi est arbitrii iudicantis. *l. 34. §. 5. ff.*
de iure iur. cuius officio conuenit, non adigere auctorem ad iuramentum, quod nullo pacto ab eo reddi potest, vt id, quod valde ei verosimile et probabile videtur, certum omnino et indubitatum esse iurare. Finge referre reum iusiurandum de proprio facto ipsi delatum: non licet, *inquis,* referre. Sed quid si relatum sit et acceptatum etiam ab auctore? si res iudicata locum fecerit relationi? num iure postulabis iuramentum veritatis ab auctore? imo permittendum ei erit, vt ex opinione et persuasione sua iuret. Atque ita censuit *Curia Supr. Lips. in causa P. E. e. G. z. S.* Qui contra differunt, obiciunt potissimum ita iurandum esse, vt delatum est iuriurandum, *l. 3. §. 4. ff. de iure iur.* sed haec argumentatio facile diluitur, si consideremus, reum ad iuramentum credulizatis admitti, quamvis factum, de quo id exigitur, plane negauerit. Ad negotii enim qualitatem iurisiurandi formulam concipere iudex debet, non libelli aut litis contestationis verbis inhaerere. Instant tamen et vrgent, inuerti ita prorsus causam, si id, quod antea omnino affirmaverat auctor, nunc ubi iurandum est, se non scire, sed tantum credere profiteatur, neque posse hanc eius credulitatem sufficere ad condemnandum reum. Quasi non eadem in pari causa petitoris et possessoris sit conditio, atque non ipsa natura rei postulet, vt in factis alienis, quae certo scire non possumus, is, qui ea affirmat, non minus quam qui negat, ex persuasione et existimatione sua dixisse

D

cen-

26 DE PROBATIONE DOMINII

censendus sit. Sed haec alias pluribus, nunc ad reliqua pergamus.

§. XXII.

*Reo etiam
permittitur
probare acto-
rem domi-
num non esse.*

Manifestae turpitudinis esse PAVLVS scribit, nolle nec iurare nec iuriandum referre 1,38. ff. de iure iur. Aliam tamen rationem defugandi iuramenta introduxit vsus fori et prudentum interpretatio, quam Constitutiones etiam nostrorum Principum comprobarunt, defensionem conscientiae causarum patroni appellare solent. Cuius grauissimum abusum non quidem penitus fustulit, non parum tamen imminuit cohibuitque Ordin. Rec. tit. 19. §. 1. negato ad iuriandum redditu iis, qui temere hanc viam ingrediantur. Considerandum igitur hoc loco nobis est, possitne commode et absque periculo hoc remedio vti, cui de proprietatis quaestione iuramentum actor detulit. Et videri poterat aliena prorsus ab hoc loco esse illa probatio, quod difficultum sit, ostendere actorem dominum non esse, cum in hoc probationis genere reo non liceat exceptiones allegare, sed hoc ipsum, quod actor ita esse ait, aliter se habere demonstrandum sit. Quod quamuis ita sit; nihil tamen dubito affirmare, in hac de dominio controvrsia fieri posse, vt quis nec temere nec infeliciter hanc declinandi iuramentum rationem instituat. Nam si quis per usucacionem rei se acquisiuisse dominium contendat, mala fide aut interruptione probata, iure iurando reus liberabitur. Sin simpliciter et sine commemora-

moratione causae rem suam esse, dicat, ego vero meam esse ostendam, satis demonstravi, illum dominum non esse. Fieri enim nequit, ut quod nostrum est, eodem modo actoris esse possit. Neque hoc est exceptionem opponere actori, cum hac ratione fundamentum causae, dominium illius, directo euertatur. Ceterum ne id quidem necessarium esse existimo, ut reus doceat, rem esse suam, cum sufficiat ostendere alium eius esse dominum, quam actorem. Neque est quod mihi obiicias, hanc esse de iure tertii exceptionem, qua aduersus actorem reus vti nequeat. Nam haec quidem vera sunt, si actor ius suum probauerit, si de dominio suo iusurandum a me exigat, aequum est illius gratiam mihi fieri, si Titium aut Maeuium dominum esse euicerim.

§. XXIII.

Restat, ut videamus, quid efficiat haec iurisius. *Possessor condamnatur, si iurare nequeat,* *aut si eo referente petitor iure, saluo aliorum iure.*
 randi delatio, si aut iuret reus, aut iusurandum re-
 cuset. Si igitur quod semel suscepit iuramentum,
 postea praestare aut nolit, aut nequeat, sine dubio
 possessor condemnabitur. Idem est, si referente
 eo, petitor iurauerit rem esse suam. Quod tamen
 ita accipi debet, ut aliorum ius saluum relinquatur.
 Aduersus hos enim nulla petitor ex hoc iureci-
 rando datur actio, immo his semper integrum est,
 ius suum persequi aduersus quemuis possessorem, *salvo alio-*
rum iure. etiam aduersus ipsum, qui causam obtinuit, acto-
 rem. Consequens est, ut cui res propter hoc ius-

iurandum restituta est, reum contra quemcunque alium, qui eandem ab eo petat, defendat. Quam in rem olim lure Saxonum cautio, quae *guaranda* dicitur, interponi solebat, *L. R.* lib. II. art. 15. Qua sublata licet per *Ordin. Rec.* Tit. 12. superest tamen ipsa obligatio reo contra alios securitatem praestandi. Quamvis mea sententia ipso iure satis tutus sit, nec ab alio conueniri possit, qui rem sine dolo, sine culpa possidere desiit, et post praestitum iusiurandum auctore iudice petitori restituit.

§. XXIV.

*Si iuret reus
absoluitur,
et datur ei
exceptio con-
tra petito-
rem.*

Contra ea si reus iurauerit, *rem petitoris non esse*, absolvitur atque aduersus eum, si denuo et ex eadem causa rem vindicet, exceptione iurisiurandi, aut si maiis, rei iudicatae vtitur, quamvis ille possit iudici de dominio suo plenam fidem facere, cum imputare sibi debeat, quod semel totam causam sacramento commiserit. Sed haec duntaxat aduersus eum datur, qui iusiurandum detulit, eosque, qui in eius locum succederunt, *a. l. 9. §. 7. ff. de iu-
reiur.* Aduersus alios iurisiurandi praerogativa nihil ei prodest, siue *rem suam esse iurauerit*, siue *non esse petitoris l. 7. §. 7. ff. de Public. in rem act.*

§. XXV.

*Anetiam
actio?*

Imo et contra ipsum auctorem tantum exce-
ptio possessori datur, qui iurauit *rem illius non esse*,
actio

PER IVRAMENTI DELATIONEM. 29

actio non datur, ne quidem si is possideat, qui ei iusurandum detulit: Non enim *rem suam esse iurauit*, sed *illius non esse* d. l. 7. §. 7. ff. de Public. in *rem act.* l. 11. pr. ff. de *iure iuri*. Si consentiente actore *rem suam iurauerit*, amissa quoque possessio-
ne actio ei competit, sed duntaxat aduersus acto-
rem, si hic forte nactus sit possessionem d. l. 11. §. 1.
ff. eod. Sed hanc conditionem non facile ei actor
deferet, vid. supra §. 17. Sane aduersus tertium
quemcunque actori ius suum faluum esse per se in-
telligitur, imo forte aduersus ipsum etiam reum, si *utrum actor audiendus,*
ex causa agat alia, quae in iudicium antea non erat deducta, vt pura si primum vsucapione se domini- sa rem vin-
niuum rei acquisuisse dixerit, postea ex legato rem dicet.
petat. Nam si generatim de dominio iusurandum exegerit, eo praestito nihil proderit ei postea certam causam allegare, nisi noua sit, et postquam reus iurauerat, demum subnata. Hanc enim si afferat, vix est, vt exceptione rei iudicatae repeli possit.

§. XXVI.

Sed satis est de probatione dominii, quae per iusurandum fit, a nobis disputatum. Quae de iu-
ramento, quod ob defectum probationis iudex de-
fert, addi poterant, non sunt huius loci. Res ipsa De iuramen-
ti supplentorii
aut purgato-
probatione
domini.
supplenda probationis causa actori, aut si magis fide dignus sit, reo etiam iusurandum deferri pos-
se,

30 DE PROBATIONE DOMINII &c.

se, illud suppletorium, hoc purgatorium interpretes appellare solent. An vero ad delationem hanc iudici peruenire liceat, si de veritate actor iurare nequeat, plus dubitationis habet, et videtur ipsa Ordin. Proc. Sax. tit. 18. §. 5. hanc iuris iurandi de credulitate exactiōnē improbare, nescio tamen, an omnino reiiciat, vid. Tit. 30. verb. welche auch der Sache am besten Wissenschaft tragen v. Forri vnu certe admittitur, quem confirmauit Ord. Rec. ita tamen, vt, si alter de vero iurare possit, alteri non




D 3

Leipzig, Diss., 1733
(1)

1018





Pr. 7. num. 19.
1733, 1.

DE
**OBATIONE
DOMINII**
PER
AMENTI DELATIONEM
P R A E S I D E
H. HENR. GRIBNERO
ICTO
X. APRIL. ANN. MDCCXXXIII.
DISPV TABIT
A. ET R.
TOPH. FRIDER. BERGER
FRIBURG. THVR.
LIPSIAE
X OFFICINA LANGENHEMIANA.

